



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Quæst. V. An processionēs actiuæ à passiuīs distinguantur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

sui, & Patris, vel est specificatiuum, & obiectum quarto modo per se intellectiois essentialis essentia cum omnibus, quæ ipsi identificantur: & sic ex omnium Personarum cognitione, ac proinde, Spiritus etiam sancti, quarto modo per se Verbum procedet: quandoquidem Persona Spiritus sancti æquæ, atque Persona Patris, & Filij identificatur cum essentia. In primis non me tangit obiectio, vt d. 5. videbimus. Sed neque Vazq. nimis arctè premit. Nam aliud est obiecta per se requiri ad perfectionem essentialis cognitionis; aliud requiri ad rationem productionis, quæ in ipsa est. Ad primum requiri admittit fortasse Vazq. vt ad omnia identificata cum essentia terminetur essentialis cognitio ob perfectionem cognitionis, & Dei cognoscens ad rationem autem productionis requiri negabit. Sicut de præfessione infallibilis scientiæ mediæ ad decretum conferendi auxilium efficax ad bona nostra opera; respondebat Erice: requiri quidem eiusmodi præfessionem infallibilis scientiæ mediæ ex perfectione operantis, non autem ex indigentia consensus nostri in opera bona. An verò solutio hæc in Societatis principis nostri operis libertas saluetur, alterius est, & temporis, & loci.



### QVÆSTIO V.

*An processiones actiua à passiuis distinguantur?*



Formali distinctione quæstio non procedit. Si enim, iuxta vulgarem Philosophiam, actio formaliter à passione differat, & si realiter identificentur, distinctioni formali processionis actiua à passiuâ locus erit. Quam Philosophiam, licet minime probent, imò multis ex Arist. & ratione apud Physicos suadeam, etotam actionis à passione distinctionem non ex parte formalitatis obiectæ, quæ vniuersa est, sed modi nostri concipiendi se tenere, nenas philosophicas facili prætereo, dum nos grauiora theologica vocant. De distinctione igitur reali actiua processionis à passiuâ inquiratur. Sciri quidem dignum, licet non tanti ponderis, quanti esse volunt Doctores nonnulli, qui semper ad aliorum censuras sunt in procinctu. Quæ res ad eum ad malè censuratas ab illis opiniones tutandas ira, an pietas impellit, vt ferè ingenuum alioqui, atque officiosum erga veritatem animum, à vero ad probabile dimoueat.

### CERTAMEN I.

*Nil censura dignum præstant, qui actiuas à passiuis processionibus realiter non distinguunt.*

Vulgò actiuas processionibus à passiuis distinguunt Theologi. Molin. 1. p. 40. art. 2. d. 2. m. 3. atque eo art. Vazq. cursim; Granad. tract. 2. disp. 3. sect. 1. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 5. refertur pro ea Zunniga d. 2. à dub. 14. m. 2. vique ad 17. dub. de qua nihil sibi scripsit, quin dub. 16. m. 1. contrarium insinuat. Cæterum oppositam sententiam temerariam, errorique obnoxiam censet Ruiz d. 84. sect. 1. 2. & 3. n. 10. Albiz verò d. 1. sect. 2. vt temeritatis illam non notet, à temeritate verò liberare non audet. Ausus autem fuit illam ab omni censura liberare Pater Suar. 6. de Trinit. c. 7. & ipse non parum ad aliorum censuras procliuus. Et iure quidem optimo: cum ex antiquis plures eam tradiderint opinionem, quos presso nomine refert Aurcol. in 1. d. 17. art. 2. §. Opinio com-

munis. & art. 3. init. aliique nominati apud nostrum Albertin. corol. 12. ad prædicamentum ad aliquid, vbi eandem opinionem amplectitur. Eam in super insinuasse nostrum Zunnigam nuper dicebamus. Sed videamus quibus tandem fundamentis tam acri censura contra hanc opinionem inuechatur Ruiz. Opponit sect. 1. Patres asserentes. *Patrem ingentiuè habere essentiam; Filium verò genitiuè.* Postèrque obicere August. dicentem. *Sciunt inuicem Pater, & Filius: sed ille gignendo, iste nascendo.* Nihil momenti in his testimoniis reperio. Nam, siue processio actiua identificetur cum passiuâ; siue non, siue vtraque sit in Persona procedente, siue in producente, verum est communia omnia in Patre esse non accepta per processionem, & generationem, id est ingentiuè; in Filio autem esse illa omnia per generationem accepta. Insuper: cum Pater mediâ intellectiois, & scientia generet, sciet gignendo Pater, sciet etiam nascendo Filius, siue generatio actiua cum passiuâ identificetur, siue non.

2. Opponit rursus Patres alios asserentes: *proprietas Patris esse, quod sit ingentiuè*: ergo generatio proprietas Filij est, actiua verò Patris. Sed proprietas Patris realiter distinguitur à proprietate Filij: ergo generatio actiua realiter à passiuâ distinguitur. In primis ratio ingentiuè formaliter actiua generatio non est in vera, & ipsius Ruiz opinio: vnde, neque ex eo, quod ratio ingentiuè realiter cum proprietate Patris identificetur, infertur generationem actiuam cum Patris proprietate identificari. Hinc, licet Filij proprietas sit realis generatio, tam actiua, quam passiuâ iuxta vulgarem Philosophiam de actione & passione creatiua, non infertur prima consequentia. Secundo, & si identificetur generatio actiua, & passiuâ cum ingentiuera Patris, ac proinde proprietatis Patris intrinseca vtraque processio sit, erit proprietas Filij ingentiuè effect non quidem ita, vt generatio passiuâ in Filio intrinsecè sit, sed ita, vt proprietas, quæ Filij est, sit genita vt quod, essentialiter, & intrinsecè; vt quo autem extrinsecè à generatione, quæ est in Patre. Sicut in opinione, quæ actionem, & passionem identificatas ex parte agentis ponit ab ea actione, & passione, quæ ex parte agentis se tenet, tanquam à forma extrinseca effectum fieri docet, vt quo, licet vt, quod, essentialiter, & intrinsecè sit factus: quia videlicet à se non est, neque esse potest: vnde non potest non hac, vel illa actione in suo effecti fieri, & ab agente pendere. In quo à Filio æterno (qui alia generatione, aut processione, quam hac numero quæ Patri identificatur, procedere nequit) creatus est, factus discordat.

3. Refert sect. 2. Patres alios asserentes Patrem distinguunt à Filio, quod ille generat; hic generatur. Et rursus: *quis gignere, & gigni differunt*: ergo, quia generatio actiua & passiuâ realiter distinguuntur: quandoquidem secundum eas rationes realis distinctio Patris, & Filij statuitur à Patribus; nequitque per id, quod re ipsa idem est, distinctio realis Personarum induci. Respondetur Patres hosce contra hæreticos pro diuersitate, & distinctione Personarum pugnasse. Quam autem infirmè ex reali distinctione actiua processionis, seu generationis à passiuâ id probarent, viderit facile, qui Aristotelem, & Philosophos legerit, docentes, passim actionem re ipsa à passione non distingui. Solum ergo volunt distinguunt, quia generatio distinctionem generantis, & geniti necessariò, vel supponit, siue actiua siue passiuâ non autem, quia generatio actiua, vel passiuâ eam formaliter in ipsis ponant, tanquam eorum distinctiua, vt de constitutione Personarum agentes ostendemus. Inducit quartò Concilium Lugdunense relatum c. vnic. de summ. Trinit. in 6. & Concil. Florentin. sess. 25. Eugeniumque 4. in litteris vnionis vbi aiunt: *Spiritum sanctum à Patre, & Filio tanquam ab unico principio, & per vnica spirationem procedere.* Cum autem his esset, an duæ spirationes actiue in Patre, & Filio forent? definiendo vnica esse in vtroque actiuam spirationem cum Patre, & Filio identificari definiunt. Sed cito: id definiatur.

definiatur. Definiatur esse aliam spirationem passiuam realiter ab illa diuersam in Spiritu sancto? atqui hoc definiendum etiam erat, vt contra hanc opinionem definitio pugnet. Secundo lis non erat an spiratio identificaretur cum Personis Patris, & Filij: Sed an vnica virtutis spiratio esset: an plures: Vnde, licet in Spiritu sancto actiua, & passiuam simul, & identice spiratio vnica à Patre, & Filio sit, saluatur definitio Conciliorum.

4 Obicitur Bessario in Concil. Florent. c. 6. orat. pro vnione: vbi discertis verbis ait: *Generationem actiuam à passiuam realiter distinguunt.* verum, cum ad institutum Concilij distinctio hæc referret nihil, licet id obiter eo sensu dictum à Bessario fuisse, neque à Patribus probatum, probabilem solum oppositam sententiam redderet. Sed iudicio tamen meo generationem actiuam, & passiuam, non sicut nos, sed pro genito, & generante usurpauit. Ceterum contra Bessarianis auctoritatem habemus Ioan. Theologum: qui magis scholasticè in eodem Concilio disputans less. 18. sic loquitur: *Processio namque videtur esse via ab vno in alium* (quæ est actiua processio definitio) *quæ quidem à Patre accipitur.* Sed notionale id, quod à Patre accipitur in Patre nõ est, sed in termino producto, scilicet Filio: ergo ex Ioanne Theologo, & tacito consensu Patrum Concilij Florentini processio actiua est idem cum Filio. Rursum verò passiuam processio per vos est idem cum Filio: ergo processio actiua Patris, & passiuam Filij inter se se, & cum Filio identificantur. En grauissima testimonia, quæ tam graui censuræ anam dederunt: quam sint infirma, & inania. Igitur per fidei dogmata, Patrumque auctoritatem integram Catholicis Doctoribus est processiones actiuas, & passiuas realiter distinguere, vel identificare. Quod autem ex alterutro verosimilius sit cert. sequenti statuendum erit.

CERTAMEN II.

*Processiones actiuas re ipsa cum passiuis & cum Personis proascendentibus identificari probabile est; oppositum probabilius.*

1 Posito etiam contra Censores stomacho, conclusionis partem primam probabilem iudico. Habet Patronos ex vetustis & iunioribus, quos dedi cert. 1. Probat. Quia in primis quidquid fides, & Patres docent æquè commodè in hac opinione saluantur, ac in aduersa, vt nuper ostendi: ergo sine necessitate duplex processio distinguatur in quous ordine. Probat. secund. quia actio, & passio in Philosophia, & Aristotele non distinguuntur realiter, imò neque creatio actiua, & passiuæ: ergo, neque processio actiua, & passiuæ. Probat. tertio. Vbi est impossibilis distinctio formalis ex parte rei obiectæ indiuiduæ implicat distinctio realis: sed inter processionem actiuam, & passiuam, quæ indiuiduæ sunt, implicat distinctio formalis: ergo realis. Dixi indiuiduæ. Nam, & si distinctio formalis solum specificæ, & generica implicet, potest realis distinctio dari, vt patet in rationabili Petri, & Pauli: si autem Petrus, & Paulus per rationale indiuiduantur, eos realiter distingui implicaret. Minor probatur. Tunc est impossibilis distinctio formalis ex parte rei obiectæ indiuiduæ cum implicat formalitatem vnâ indiuiduam ex parte rei obiectæ concipi adæquatè, quin adæquatè concipiatur alia formaliter: sed implicat concipi ex parte rei obiectæ processionem indiuiduam Filij à Patre, quæ formaliter processio passiuæ est, quin formaliter concipiatur productio à Patre in Filium, quæ formaliter est processio actiuæ: ergo inter processionem actiuam, & passiuam impossibilis est ex parte rei obiectæ indiuiduæ formalis distinctio.

2 Minor hæc postrema probatur exemplo viæ ab Athenis ad Thebas ad indistinctionem formalem actionis à passione ab Aristot. & Philosophis adductæ. Probatur secund. quia creare, & creari, amare, & amari nemo vnquam ex parte rei obiectæ, & significatæ audeat ratione distinguere: ergo neque in diuinis produceret, & procedere ex parte rei obiectæ distingui potest. Vrgetur: quia, si generatio actiua identificetur cū Paternitate, &

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Pno & Trino.

passiua cū filiatione, his generabit Pater Filium, bisque generabitur Filius à Patre: nõ in primis generabit generatione intrinseca Paternitati: insuper generatione extrinseca Paternitati, & intrinseca Filiationi. Nam cū de generationis actiua cõceptu sit esse viâ à generatè ad genitum, passiuæ verò à genito ad generatè, vtraque generans intelligitur generare, & genitus gigni. Hoc autè, quæ superflue, & absurde admittatur viderint omnes. Denique ex perfectione processionis diuinæ arguitur efficaciter argumentò sæpe in simili repetito. Nam de ratione processionis, & generationis diuinæ est summa perfectio in sua linea: ergo nequit dari duplex diuina generatio, &c. non solum realiter, sed neque formaliter distincta: ergo neque duplex generatio, altera actiua, altera passiuæ. Prima consequentia patet: quia si duplex detur generatio realiter, & formaliter diuersa, neutra alterius perfectione, vel realiter, vel formaliter cõtinebitur: vnde neque summè perfecta in linea generationis erit. Secunda cõsequentia æquè currit, licet non æquè currere appareat: quia generatio actiua Patris v.g. includit, neque abstrahere potest realiter, aut formaliter à ratione passiuæ productionis Filij, sicut neque processio passiuæ Filij à ratione actiuæ generationis, vt Recentiores aduersarij admittunt: ergo quæuis habere debet omnem perfectionem generationis actiuæ, & passiuæ: quare aliam reddet in diuinis impossibilem.

3 Cui autem identificetur processio, quæ eadè actiua, & passiuæ est, Personæ productæ, an procedetæ? Non ita facile definiemus. Nam, si ad creatorum exempli res hæc cõcipienda sit, cū procedetæ Persona identificada videtur, scilicet generatio cum Filio, & spiratio cū Spiritu sancto: quandoquidè actio, & passio in creatis ex parte effectus se tenent, nõ autè ex parte agētis principij: vt melior tenet Philosophia. Ex alia verò parte rationes creaturarum actionum in diuinis processionibus nõ satis vrgēt: ac proinde verosimilius forte diceretur processionem diuinam, tã actiua, quã passiuam cū Personis productibus idè fieri: scilicet generatione cū Patre, spiratione cū Patre, & Filio. Cū enim dixerimus processionem ex essentialibus actibus, & personalitatibus distinctiuis productæ à producto coalescere: vbi primum distinctiua sunt, & processionem esse oportebit: sunt autè distinctiua vbi primum sunt personalitates productæ: ergo nõ expectatur personalitates productæ, vt sint processionem in se sufficere. Accedit primò: quod via prior termino cõcipitur: quare nisi aliud obstat ex parte principij, nõ ex parte termini tenere debet. Accedit secundò: quod hac ratione melius intelligitur Patre essetia sua esse Patre, & Filium essetia sua esse Filium, vt aiebat Achanas. sæpe citatus, præsertim epistol. longiori ad Serapion. Nã, si expectetur ad rationem generationis Filiatio, post totum intrinsecum, & essentialè Patris, Pater fundametaliter adhuc Pater cõstituetur filiatione, nec sua essetia Pater erit: Filius autè, cõsuetia sua generatione supponat, licet eã re ipsa nõ claudat, essetia sua genitus erit. Accedit quod formalius intelligitur, quæ Augustinus 3. contr. Maximin. c. 14. & lib. 15. de Trinit. c. 27. aiebat: *Patrem dedisse Filio ipsum gignendo, quod ab eo procedat spiritus sanctus.*

4 Obicitur cõtra præcipuam cõclusionem, Intellectio diuina adiuncta personalitate Patris est generatio actiua: ergo adiuncta personalitate Filij erit generatio passiuæ. Distinguo antecedens. Generatio actiua solum, nego antecedens: actiua simul, & passiuæ, cõcedo antecedens: & nego cõsequentiã. Nã quidquid in genere actionis, & passionis habere potest perfectionis præhabet in Patre ante Filium formaliter: vnde nihil in ratione actionis, vel passionis ipsi à Filij personalitate potest accrescere. Obicitur secund. Implet formaliter primam Personam esse, quin actu generet, & secundam quin actu generetur: ergo genitum esse intrinsecum est Personam secundam, & generare intrinsecum est Personam primam Patris: at hæc habet formaliter generatione actiua Pater, passiuæ verò Filius: ergo generatio actiua identificatur cū Patre, passiuæ verò cū Filio: ac proinde actiua, & passiuæ realiter distinguuntur æquè, ac Pater, & Filius. Respondetur distinguendo antecedens primam. Implicat Filium nõ generari implicatione formalis generationis passiuæ.

passiua, & intrinseca, nego antecedens: generationis extrinseca, & praesupposita essentialiter in Patre, concedo antecedens: & nego consequentiam. Instabis adhuc. Entitas, cui per suam entitatem repugnat separari ab alia, per suam entitatem intrinsece est vnio realis formalis ad illam: ergo entitas, cui repugnat per suam entitatem non generare per se intrinsece est realiter formaliter generans: & cui sic repugnat non generari, per se intrinsece est passiuè genitus: ergo altera habet intrinsecam generationem actiuam, altera vero passiua: sed patri, & Filio repugnat &c. ergo. Distinguo antecedens primum. Cui repugnat repugnantia formali fateor, repugnantia virtuali, & consequentia, nego. Et hanc quidem solum habet Filius, vt non generetur formaliter: cum generatio, etiam passiua, in Patre fit.

5 Licet autem haec ex acuta, nec contemnenda Philosophia dicta à nobis sint, oppositum tamen, & soliditate theologica dignius, & probabilius, à ratione etiam iudicamus. Tum, quia à Theologorum, qui plures longè pro eo, & nobiliores sunt, autoritate amplius momenti habet: tum, quia rationes illae actionis, & passionis creatorum effectuum, & agentium in diuinarum personarum processibus non currunt. Etenim creati effectus, illorumque causas non ita essentia, & entitate sua actioni, aut passioni determinatae huic atque ab hac determinata causa, ad huncque determinatè effectum sunt exercitè affixi, vt sine illis nequeant existere: quare & facere, & fieri extrinsecus possunt; imò, & debent, cum per suam entitatem agere, & fieri nequeant. si autem per suam entitatem ita actioni vel passioni exercitè & suo principio, vel effectui connecterentur, intrinseca passione effectus prodirent, & causa intrinseca sibi actione in bona Philosophia operarentur. Sic melior Philosophia Angelos, & quaecumque à solo Deo fieri possunt, quia creantur, per suam entitatem fieri sine extrinseca actione docet, quae creatio, etiam actiua est, quia cum Deus essentia sua exercitè cum Angelis existens, & creatione non connectatur, non nisi extrinseca actione agere, agensque denominari potest: at si exercitè cum Angeli existens, & creatione entitate sua connecteretur, actione sibi identificata ageret, quae passio non esset, quae intrinseca Angelo esse debebat, sicuti, neque haec actio creatiua foret ob similem rationem ex parte Dei creatantis consideratam. Neque enim in vtroque actio, & passio ponenda simul duplicate, & superflue foret; neque extrinseca illa atque aduentitia actione ageret, connectereturque cum Angeli existens, Deus sua entitate cum illa connexus: sicuti neque Angelus essentia sua cum Deo auctoritate suo passiuè connexus passione extrinseca fieret. Itaque actio, quae eadem passio formaliter, & realiter est, in his solum producentibus, & procedentibus inuenitur, quae essentia, & entitate sua non connectuntur exercitè in agendo, vel procedendo, quibusque proinde extrinsecum est agere, & fieri. Cum autem in diuinis persona producentis, & procedens entitate, essentiaque sua fiat mutuo connexa in producendo, & procedendo alteri eorum actio solum realiter formaliter, alteri verò passio, quae nec realiter, nec formaliter actio sit identificanda est. Accedit: hunc esse germanum sensum Patrum plurium, & praecipue Athanasij, cum alijs saepe, tum Epist. longiori ad Serapion, non semel dicentis *Patrem in diuinis essentia sua Patrem, & Filium essentia sua Filium esse.* id est, essentia sua intima persona suae generare Patrem, Filium non alio, quam se ipso generari: vnde rationes illae philosophicae, quas dedimus pro aduersa opinione euauerunt. Constat enim in iis, quae entitate sua cum effectibus, vel causis suis connexa in agendo, vel patiendo exercitè sunt, actionis, & passionis reali, ne dum formalis, identitati locum non esse, neque denominationi extrinsecae, vt agere dicantur, vel fieri.

6 Pronum ex dictis est de alia quaestione ferre sententiam. Quo scilicet pacto processione actiua inter se se, atque inter se se passiua distinguantur? De quo so-

lum egisse videtur Zunniga dub. 14. d. 2. m. 2. pro aduersariis recitatus. Constat enim de formali vtriusque distinctione ferè adaequatè differre, cum spiritio tam actiua, quam passiua, si haec cum actiua realiter identificetur, formaliter claudat amorem, & personalitatem Patris, & Filij, connotatque Spiritus sancti personalitatem, generatio verò solum Patris personalitatem claudat, connotatque personalitatem Filij, atque cognitionem formaliter ab amore diuersam includat, siue actiua, siue passiua generatio sumatur. Realiter verò loquendo minus adhuc differunt, cum cognitio, & amor quibus constant idem re ipsa sint. Solaque additione personalitatis Filij, quam includit spiritio, & connotatione personalitatis Spiritus sancti re ipsa à generatione tanquam includens ab inclusio à generatione distinguetur, vt patet. Sin autem actiua, & passiua processio cum Persona procedente identificetur, vel actiua cum producenti principio, passiua verò cum Persona producta, quod vtrumque probabile etiam esse docebamus, licet verosimilius secundum, facile quibus de hoc dubio ex dictis statuer. Aliorum doctrinis recitandis, impugnandisque supersedeo, quia peccant in principijs de constitutione actuum notionalium, quae q. 4. cert. 1. & 2. satis eradicaui.



#### DISPUTATIO IV. DE POTENTIIS, ET principijs processionum.



QUATUOR hic de potentia, seu principijs notionalibus disputanda veniunt. Primum: an sit in diuinis ratio potentiae, & principij ad Personas producendas, earumque processionem? Secundum, quid eiusmodi potentia, seu principium physicum sit? Tertium, quotuplex ea sit potentia? Quartum, an sit omnibus Personis communis?



#### QUESTIO I.

Sit ne ratio principij, & potentiae physicae notionalis in diuinis?



NON inquiribus de potentia logica, quam admittis processionibus nemo, vel parum sanus, negare tentabit. Cum ex processionis existentia haecenus probata eius possibilitas, in qua potentia logica adaequatè consistit, negari non possit. Tota ergo difficultas de potentia physica notionali procedit: cuius conceptus ex parte obiecti diuersus ab actione, & via, vel saltem à termino producto esse debet, si admittatur. Atque, vt certa ab incertis separemus, potentiam physicam notionalem respectu Persona productae admittunt omnes. Cum enim de ratione potentis terminum producente solum sit terminum in eius virtute contineri, ac proinde, & ab ipso fluere cum producit: Filiusque in virtute Patris contineatur, ab ipsoque procedat, & fluat, sicut, Spiritus sanctus in virtute virtute continetur, atque ex vtroque procedit in Patre respectu Filij, & in vtroque respectu Spiritus sancti potentiam physicam agnoscere tenentur omnes. Imò in communiori opinione identificante processionem passiuam cum terminis productis respectu earum etiam potentia physica notionalis in producentibus Personis vulgò à Theologis agnoscitur. Scio Capreolum, liuore, an errore? Aureolo inter alia imposuisse, quod potentiam notionalem